Ornatissimo Juveni
Constantino Hugenio C. F.
S. P. D.
Isaacus Gruterus

ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

Ornatissime Domine

'S RYKS ARCHIEF.

Impulit me nuper non animi morbus ad obvia prosilientis epistolarum argumenta, aut licentiæ veneno afflata temeritas, cum calami mei interpellationes in Parentis utque tui Musæum transfunderem, lacessitum ad urgendum quidquid voti agitarem facilitatis tuæ opera, cujus deprædicationi sæpius interfui. Aliunde natus impetus, et vobis domesticæ humanitatis aura provectus sensit Hugenios (ut meus omen virtutum vestrarum secuta suggerit) benignos interpretes, et quales ad omnem eruditionis et elegantiæ cultum effinxit vos sociata Naturæ ars. Si me tamen extra lineas modestiæ rapuit ardor quidam haud insolitus, et collectis stimulis instituto adjumenta conquirendi nimis sedulus, veniam dabitis studio intemperantius alienis horis abuti nescio, et a cujus tamen refrigerato velut calore expedire meum excudisse quid nota dignum, si peroranda alibi causa esset. Id vobis si minus acceptum intellexero, et pacatiore utar animo post exemptum scrupulum, et ad omnem venerationem, quam late conspicuæ merentur virtutes, magna fit accessio. Vale et officia mea Parenti nobilissimo defer. raptim. Trajecti ad Mosam. 24 Junii. VIII. Kal. Julii. CIↃ IↃC LIV.

Myn Heer

Myn Heer Constantin Huigens soon van den Heer van Zuilichem, woont opt pleijn

door vriend

'sGravenhaag

© Universiteitsbibliotheek Leiden
BPL 2212
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/n0314